STVDIA AMBROSIANA

DISSERTATIO PHILOLOGA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA
RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI

TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXIV MENSIS IANVARII ANNI MDCCCLXXXIX HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

MAXIMILIANVS IHM
POSENANVS

ADVERSARII ERVNT

ALFREDVS KOERTE
EDVARDVS NORDEN
AEMILIVS SADÉE

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXXIX

Auctores praecipue adhibiti.

Acta sanctorum Bollandi etc.
Baronii Annales eccles.
Baunard, Histoire de St. Ambroise. Paris 1871 (Germanice reddidit Bittl, Friburg. Brisg. 1873).
Clinton, Fasti Romani. Oxon. 1845—1850.
Codex Theodosianus. Editt. Gothofredi et Haeneli.
Coustant, Epistulae pontiff. Paris 1721.
Ebert, Litteratur des Mittelalters. vol. I Leipzig 1874.
Förster, Ambrosius, Bischof von Mailand. Halle 1884 (rec. Harnack Theolog. Litteraturzeitung 1884 p. 463).
id. Ambrosius Bischof von Mailand. Ein Kirchenfürst von Gottes Gnaden. Barmen (H. Klein) 1888.
Gueldenpenning und Ifland, Kaiser Theodosius der Grosse. Halle 1878.
Hefele, Conciliengeschichte voll. I et II edit. II 1873. 1875.
Ifland, v. Gueldenpenning.
F. X. Kraus, Lehrbuch der Kirchengeschichte. edit. II Trier 1882.
Langen, Geschichte der römischen Kirche. I Bonn 1881.
Mansi, Concil. nova et ampl. collectio. vol. III.
Peiperi edit. Ausonii. Lipsiae 1886.
Richter, Das weströmische Reich besonders unter den Kaisern Gratian, Valentinian II und Maximus (375—388). Berlin 1865.
Rudorff, Über den Ursprung und die Bestimmung der Lex Dei (in Actis Acad. Berol. 1868 p. 265 sqq.).
Schiller, Geschichte der römischen Kaiserzeit. II Gotha 1887.
Schultze, Geschichte des Untergangs des griech.-röm. Heidenthums. I Jena 1887.
Seeck, Prolegomena editionis Symmach. Berol. 1883 (Monum. Germ. hist. Auct. ant. VI 1).
Sievers, Studien zur Geschichte der römischen Kaiser. Berl. 1870.
Teuffel, Geschichte der römischen Litteratur. edit. IV Lips. 1882.
Tillemont, Mémoires pour servir à l'histoire ecclés. vol. X. Paris 1705.
Usener, Religionsgeschichtliche Untersuchungen. I Bonn 1889.
Vogel, De Hegesippo qui dicitur Iosephi interprete. Erlangae 1881.

(Alii suis locis commemorabuntur.)

I. Fasti Ambrosiani.

ca. 340 Ambrosius natus est (Treveris?) patre Ambrosio praefecto Galliarum natu minimus ex filiis (Paulini vita Ambr. 3. Ambr. de exc. Sat. I 54. cfr. adnot. ep. 59).

340—352 Patre mortuo familia Romam transmigravit (Paulin. 4).

352 Liberius Iulio papae successit (Langen, Gesch. d. röm. Kirche I p. 459. Usener, Rel. Unters. I p. 269).

353/4 Marcellina Ambrosii soror Romae Christi nataliciis a Liberio virgo consecrata est (Paulin. 4. Ambr. de virginib. III 1, 1. Langen l. c. p. 489 sqq. Usener l. c. I p. 268 sqq. cfr. adnot. ep. 59).

355 Liberius in exilium pulsus est (Langen l. c. p. 470).

358 Liberius Romam revertit (Langen l. c. p. 480).

359 Concilium Ariminense (Langen l. c. p. 482. cfr. Ambr. de fide I 18, 122. Expos. evang. Luc. V 71. Ep. 21, 14. 15).

364 Valentinianus I et Valens imperare coeperunt (testim. ap. Peiperum in praef. edit. Auson. p. LXXXXV. cfr. Ambr. ep. 21, 5. Paulin. vita Ambr. 8).

366 Sept. Liberius mortuus est. Schisma Ursinianum. Damasus papa (Langen l. c. p. 495 sqq. cfr. Ambr. ep. 11. de spir. sancto I prol. 18. ep. 17, 10).

367 d. 24. Aug. Gratianus puer Augustus declaratus est (Peiper praef. Auson. p. LXXXXV).
Nov. Ursinus Damasi antipapa pulsus est (Langen l. c. p. 501)

368/74 Ambrosius ‘postquam edoctus liberalibus disciplinis ex urbe egressus est professusque in auditorio praefecturae praetorii, ita splendide causas peroravit, ut eligeretur a viro illustri Probo, tunc praefecto praetorii, ad consilium tribuendum. Post haec consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam Aemiliamque provincias venitque Mediolanium’ (Paulin. 5).[1]

373 Athanasius mortuus est.

373 Symmachus cum imperio proconsulari in Africam missus iam ante d. 7. Sept. 375 successorem accepit (Cod. Theod. IV 12, 7. Seeck, Proleg. Symmach. p. XLVII).

---

1) Sex. Petronius Probus praefectus praetorio Italiae electus est a. 368 ineunte remansitque in hoc magistratu annos continuos octo (Seeck, Proleg. Symmach. p. CII cum adnot. 451). Consularem Aemiliae et Liguriae Ambrosium vulgo factum esse putant a. 373 vel 374. Sed annus non constat neque de Paulini verbis incertissimis, qui § 6 ‘per idem tempus’ eum episcopum ordinatum esse dicit, extricari quicquam potest.

374 Auxentio Arianorum episcopo mortuo Ambrosius Mediolanensium episcopus ordinatus est (Paulin. 6—9. Rufin. Hist. eccles. II 11. Hieron. Chron. ad a. 2390 Abr. Prosper Chron. ad a. 374 Chr. Martyrol. Romanum d. 7. Dec. Tillemont note 4 sur Ambr. Schiller, Röm. Kaisergesch. II p. 388_2).[2])

374/5 hieme Ambrosius clericos cum litteris ad Basilium misit qui peterent, ut corpus beati Dionysii Mediolanensis redderetur (Basil. ep. 197. Migne Patrol. graeca 32, 709).[3])

375 d. 17. Nov. Valentinianus I Brigetione Pannoniae mortem obiit (Schiller, Röm. Kaisergesch. II p. 388_7).
Valentinianus puer tum quadrimus Augustus Orientis nuncupatur (Peiper l. c. p. LXXXXVIIII. cfr. Ambr. de ob. Val. 59 'electus est filius meus, cum post mortem patris parvulus adscisceretur imperio').

377 Ambrosius libros scripsit de virginibus III, de viduis unum, quos secutus est, incertum quo intervallo, liber de virginitate (v. infra librorum adnot.).

377 Romani a Fritigerne Gothorum duce 'ad Salices' victi (Richter, Weström. Reich p. 468 sqq.).

378 Gratianus Alamannis ad Argentariam devictis magnis itineribus in Orientem profectus est Valenti contra Gothos auxilium laturus; ad Sirmium constitit (Peiper l. c. p. CII). Circa hoc tempus Ambrosius libros de fide I et II ad Gratianum scripsit (v. adnot. ad hos libros).

378 d. 9. Aug. Valens Augustus a Gothis ad Hadrianopolim victus interiit (Amm. Marc. 31, 13. Oros. 7, 33, 13 etc.).

---

2) Hieronymus ad a. 2390 Abr. (373 Chr.) adnotat: 'post Auxentii seram mortem Mediolanii Ambrosio episcopo constituto omnis ad fidem rectam Italia convertitur.' Sed annum 374 esse consentiunt omnes neque ut videtur iniuria. Prosper in Chron. verba ex Hieronymo sumpta a. 374 (Gratiano III et Equitio coss.) adscripsit neque minus Theophanes Byzantinus (Chronograph. I p. 94 edit. Bonn. a. 1839) ordinationem anno, qui praecedit Valentiniani senioris mortem (a. 375 mens. Nov.), tribuit. Vivo Valentiniano eum episcopum factum esse Paulinus (vita Ambr. 8) alii testes sunt, sed male Theodoretus imperatorem tunc Mediolanii versatum esse tradit (cfr. Tillemont note 4 sur Ambr. Schiller l. c. II p. 388_2). Dies ordinationis ab ecclesia d. 7. Dec. celebratur (Martyrol. Roman. 7. Dec.: 'Mediolanii ordinatio sancti Ambrosii episcopi et ecclesiae doctoris, cuius sanctitate et doctrina universalis ecclesia decoratur'), qui dies a. 374 fuit dominica. Sed num recte sit statutus in dubitationem vocari potest (vide quae infra adnot. ad Expos. evang. Lucae). Sed circiter illud tempus ordinationem factam esse nescio an confirment verba Ambr. ep. 4, 2 (ad Felicem episcopum) 'tum ego nostris fabulis intexui diem natalis tui (i. e. ordinationis), qui foret in exordio ipso kalendarum Novembrium, eumque, si non fallerer, appropinquasse et crastina celebrandum die . . . natalem autem tuum prosequemur nostris orationibus et tu nostri in tuis votis non obliviscaris'. Videtur indicare Ambrosius natalem suum non longe abesse.

3) Gratulatur illa epistula Basilius mirabilem Ambrosii creationem laudatque clericos eius, qui ne hiemis quidem molestias (κατετόλμησαν μὲν χειμῶνος ἀβάτου) reformidaverint, ut Dionysii reliquias impetrarent; quod illis contigisse certis affirmat argumentis.

ca. 378/9 Ambrosius morbo implicitus a sorore curatur (de exc. Satyri I 36: 'denique proxime cum gravi quodam atque utinam supremo urgerer occasu, hoc solum dolebam, quod non ipse adsideres lectulo ac votivum mihi cum sancta sorore partitus officium morientis oculos digitis tuis clauderes').

379 d. 19. Ian. Theodosius Sirmii Augustus declaratus est (Ifland, Kaiser Theodos. p. 61. Peiper l. c. p. CIII). Thessalonicam profectus (ante mensem Iunium Cod. Theod. X 1, 12, Ifland l. c. p. 66, Schiller l. c. II p. 402) prospere contra barbaros pugnavit (Ifland l. c. p. 70. 74).

379 Gratiani iter 'ab usque Thracia per totum latus Illyrici Venetiam Liguriamque et Galliam veterem, insuperabilia Raetiae, Rheni vadosa, Sequanorum invia, porrecta Germaniae' (Auson. gratiar. actio 82). Quo in itinere Ambrosium rogavit per litteras, ut sibi obviam veniret; cui respondit episcopus ep. 1 (data ante mensem Augustum; vide quae adnot.).

d. 14. Sept. Gratianus Treveris versatus est (Cod. Theod. XIII 3, 12); mox in Italiam rediit (a. 380; cfr. Cod. Theod. XV 7, 4).

379 Uranius Satyrus Ambrosii frater ex Africa in Italiam reversus subito mortuus est. Ambrosii libri II de excessu Satyri (v. adnot.).

379/80 Aemilius Magnus Arborius praefectus urbi bene fami tunc ortae consuluit prohibuitque quominus peregrini ex urbe pellerentur (Ambros. de offic. III 7, 46—48. Seeck, Proleg. Symmach. p. LXXXIX).

380 in. Theodosius Thessalonicae in morbum gravem incidit et ab Acholio episcopo baptizatus est (Ifland l. c. p. 75).

d. 27. Febr. edictum de fide catholica ad populum urbis Constantinopolitanae proposuit Cod. Theod. XVI 1, 2 (cfr. Sozom. Hist. eccl. VII 4). Gothi rebellaverunt (Ifland l. c. p. 78).

380 'Gratiano V et Theodosio coss. pro catholica fide multa sublimiter Ambrosius scripsit' (Prosper Chron., unde hausit Cassiodorius Chron. 'Ambrosius de christiana fide multa sublimiter scribit'). ca. hoc tempus libri de fide III—V conscripti sunt.

Basilica, quam Gratianus sequestraverat, ecclesiae reddita est (Ambr. de spir. sancto I 1, 19—21. Tillemont X p. 123. Richter, Weström. Reich p. 501).[4]

380 Synodo Romanae quartae Damasianae Ambrosius interfuit (Vigil. Constit. pro damnatione trium capit. cap. 26 Migne 69, 176).[5]

---

4) De tempore hoc tantum constat redditam esse basilicam non multo antequam libri de spir. sancto scripti sunt.

5) cfr. Hefele, Conciliengesch. I² p. 739. Langen, Gesch. der röm. Kirche I p. 552 sqq. Merenda, Proleg. Damas. ap. Migne 13, 201. 208. 240. Vigilii papae l. c. verba haec sunt: 'apparet falsissime quosdam foventes dicta Theodori opinari, quod memoratus Theodorus non fuerit in sua vita damnatus, cum perspectis praedecessoris nostri beatae recordationis Damasi synodalibus constitutis, quae post Nicaenum concilium de spiritu sancto tractantibus et convenientibus in urbe Roma catholicis episcopis et beatae recordationis Ambrosio Mediolanensis civitatis antistite sunt edita, longe antequam Theodorus Mompsuestinae officium episcopatus assumeret, inveniremus plenissime definitum eos

380 Anemius ab Ambrosio episcopus Sirmiensis ordinatus est maxime renitentibus Arianis.[6])

381 Ian. Athanaricus Gothorum dux a Theodosio benigne exceptus Constantinopoli decessit (Ifland l. c. p. 88. Schiller l. c. II p. 403. cfr. Ambr. de spir. sancto I prol. 17).

Ambrosius libros de spiritu sancto tres ad Gratianum scripsit (v. adnot.).

Petrus episcopus Alexandrinus obiit (ante mensem Iulium, Tillemont X p. 125. cfr. Ambros. de spir. I prol. 18).

381 Mai.—Iul. Concilium Constantinopolitanum. Meletius †. Nectarius episcopus factus. (Hefele, Concil. II p. 1 sqq. Ifland l. c. p. 109. Langen l. c. I p. 559. cfr. Ambr. ep. 13.)

381 Sept. Concilium Aquileiense contra Palladium et Secundianum (Acta conc. ap. Migne 16, 916. Mansi Conc. III 601. Ballerini edit. Ambros. V p. 241 sqq. Richter, Weström. Reich p. 525. Hefele, Concil. II p. 34). In quo scriptae sunt epp. 9—12 (vide adnot.).

381/2 Ambrosius et ceteri episcopi Italiae epistulas 13 et 14 ad Theodosium dederunt.

382 Concilium Constantinopolitanum episcoporum orientalium (Hefele l. c. II p. 37. Langen l. c. I p. 563), in quo litterae datae sunt ad concilium, quod eodem tempore Romam convenerat (V. Damasi).[7]) Huic Ambrosius quoque interfuit, quem morbo implicitum Acholius visitavit (Ambr. ep. 15, 10. Tillemont X Art. 31—33 sur Ambr. Hefele, Conc. II p. 40. Langen l. c. I p. 568).

382 Gratianus Victoriae imaginem ex curia Romana removeri iussit (Ambr. ep. 17, 10. Symm. Relat. 1. Richter, Weström. Reich p. 549. Seeck, Proleg. Symm. p. LIII), quae ut restitueretur frustra legatio ad imperatorem missa est (cfr. adnot. ad Ambr. epp. 17. 18).

382/3 (383/4?) hieme Acholius Thessalonicensium episcopus mortem obiit, cui succesit Anysius. Circa hoc tempus Ambrosii epp. 15 et 16 datae sunt (v. adnot.).

383 Priscillianus eiusque adseclae per Burdigalam Romam profecti frustra Damasum papam conciliare sibi conati sunt; regressi

---

qui duos filios affirmant, unum ante saecula et alterum post assumptionem carnis ex virgine, sicut superius Theodorum asseruisse monstratum est, anathematis poena percussos.' Ceterum chronologia Damasiana nondum satis constat, sed ut de illa accuratius inquiratur necesse est. Ambrosium saepius Romae fuisse, ubi soror habitabat, verisimile est. Interfuit etiam synodo V Damasianae a. 382. 'Post annos aliquot ordinationis' eum Romam adiisse Paulinus § 9 tradit.

6) Ordinationem unus narrat Paulinus (vita Ambr. 11). Iam tum Ambrosius Iustinam Valentiniani iunioris matrem maxime sibi adversantem habuit (Tillemont X p. 122. Richter, Weström. Reich p. 502. Foerster, Ambros. p. 26). Annus ordinationis non constat, sed facta est ante concilium Aquileiense (a. 381), cui interfuit Anemius iam episcopus Sirmiensis. Idem cum Ambrosio synodo V Romanae a. 382 interfuit (Theodor. Hist. eccles. V 9. Mansi III 582).

7) Theodor. Hist. eccles. V 9.

Mediolanium aeque adversantem sibi Ambrosium reppererunt (Sulp. Sever. Chron. II 48. Merenda, Proleg. Damas. Migne 13, 233. cfr. Priscilliani tractatus II ad Damasum edid. Schepss Corp. script. eccles. lat. Vindob. XVIII).

383 d. 25. Aug. Gratianus Maximo auctore Lugduni occisus est (Paulin. 37. Ambr. Apol. David 6, 27. Enarr. ps. LXI § 17. 23 sq. de ob. Theod. 39. Richter, Weström. Reich p. 574. Ifland, Kaiser Theod. p. 122).

383 Macedonius, qui a. 381 comes sacrarum largitionum (Cod. Theod. XI 30, 39) paulloque post magister officiorum erat (Sulp. Sever. Chron. II 48. 49) Gratiano interfecto capitis accusatus frustra ad ecclesiam confugit (Paulin. vita Ambr. 37 Seeck l. c. p. CLXXII).

383 Magna Romae annonae caritas, propter quam peregrini ex urbe pulsi sunt (Ambr. de offic. III 7, 49. ep. 18. Symm. ep. II 4—7. 52 et relat. de ara Victoriae).

383/84 hieme Prior Ambrosii ad Maximum legatio (v. adnot. ad Ambr. ep. 24. cfr. ep. 20, 23; 21, 20 de ob. Val. 28. Paulin. vita Ambr. 19. Sievers, Studien p. 306. Richter l. c. p. 578).

384 aestate Symmachi praefecti urbis ad Valentinianum relatio de ara Victoriae restituenda, contra quam Ambrosius scripsit epp. 17 et 18 (v. adnot.).

Synodus Burdigalensis contra Priscillianistas (Richter l. c. p. 629. Hefele, Conc. II p. 43).

384 Dec. Damaso papae successit Siricius (Langen l. c. I p. 610).

385 Priscillianus cum sociis Treveris capitis damnatus est auctoribus Idacio Ithacioque episcopis Hispaniensibus (Sulp. Sever. Chron. II 51, 2. Hefele, Conc. II p. 44. Peiper l. c. p. CVIII. cfr. Ambr. epp. 25 et 26 cum adnot.).

In synodo Treverensi Ithaciani Felicem episcopum ordinarunt (Coustant, Epp. pont. p. 700. Hefele, Conc. II p. 45. vide adnot. ad Ambr. epp. 42 et 51).

385 ca. pascha. Iustinae persecutio (Ambr. ep. 20 cum adnot.).

385 (?) Vigilius ab Ambrosio ordinatus episcopus Tridentinus (cfr. Ambr. ep. 19 cum adnot.).

post 385 Gaudentius Philastrio episcopo Brixiano successit; sermonem de ordinatione coram Ambrosio habuit (Gaudentii sermo XVI Migne 20, 955).[8])

---

8) Migne 20, 956: 'sed beatus pater Ambrosius ceterique venerandi antistites sacramento, quo temere vos ipsos obligastis, astricti tales ad me epistulas cum vestra legatione miserunt, ut sine damno animae meae ultra iam resistere non valerem .... tali igitur conclusus articulo et auctoritate sanctorum praesentium subiugatus suscepi hoc summi sacerdotii munus nec merito dignus nec aetate aptabilis nec doctrina maturus'; p. 958: 'obsecro communem patrem Ambrosium, ut post exiguum rorem sermonis mei ipse irriget corda vestra divinarum mysteriis litterarum'. Male accidit quod de tempore non constat. Philastrium, quem Gaudentius Serm. XXI (hab. quattuordecim annis post mortem Philastrii d. 18. Iul. Migne 20, 1002) summis effert laudibus, scimus strenue Mediolanii Auxentio repugnasse Ariano priusquam eligeretur Ambrosius (Migne 20, 999). Interfuit a. 381 concilio Aquileiensi.

386 Iustinae infestatio.
d. 23. Ian. Lex Cod. Theod. XVI 1, 4 contra catholicos a Valentiniano data est, qua Arianis eadem atque catholicis iura concessa sunt (cfr. Ambr. Sermo contra Aux. et ep. 21 cum adnot.).
386 Depositum a vidua quadam ecclesiae Ticinensi traditum et imperiali rescripto a quodam ecclesiae ereptum Ambrosii studio atque opera restitutum est (Ambr. de offic. II 29, 150. 151).
d. 15. Febr. Valentinianus Ticini legem proposuit Cod. Theod. XII 12, 11.
Ambrosii ep. 21 ad Valentinianum; eiusdem sermo contra Auxentium (vide adnot. ad Serm. contra Aux.).
386 Gervasii Protasiique martyrum corpora ab Ambrosio inventa (Paulin. 14. August. Confess. IX 7, 16), de qua re Ambrosius ep. 22 ad sororem scripsit.
Ambrosii ep. 23 ad episcopos Aemiliae de anni 387 pascha (cfr. adnot.).
386/7 Ambrosii Expositio evang. Lucae (v. adnot.).
Altera ad Maximum legatio Ambrosii, de qua scripsit imperatori ep. 24 (Paulin. 19. Ambr. de ob. Val. 28. ep. 24 cum adnot.).
387 pascha Augustinus ab Ambrosio baptizatus est Mediolanii (August. Confess. IX 6, 14).
387 Antiochiae seditione orta Theodosii eiusque familiae statuae deiectae (Ifland, Kaiser Theod. p. 142. Schiller, Röm. Kaisergesch. II p. 412_{17}. cfr. Ambr. ep. 40, 32: 'Antiochenis tuam donasti iniuriam').
387 autumno Maximus ex Gallia in Italiam descendit Mediolaniumque ingressus est (post d. 8. Sept. Cod. Theod. VI 28, 4. Schiller l. c. II p. 406_{2}); oppida nonnulla diruta (cfr. adnot. ad Ambr. ep. 39).
388 Constantinopoli ab Arianis Nectarii episcopi Nicaeni domus

---

Augustinus (de haeres. praef.) haec de eo: 'Philastrius quidam Brixiensis episcopus quem cum sancto Ambrosio Mediolanii etiam ipse vidi, scripsit' e. q. s. Qui cum a. 383/4 Mediolanium venisset, paullo postquam baptizatus est (pasch. 387) in Africam rediit (388). Vix ante a. 385 se artius Ambrosio applicavit et adiunxit. Post hunc igitur annum eum una cum Ambrosio Philastrium vidisse verisimile est. Philastrium a. fere 387 mortuum censent, quod incertum est. Extat praeterea Gaudentii sermo (XX de Petro et Paulo d. 29. Iun. habitus), quem Mediolanii videtur recitasse. Nam quae in exordio leguntur (Migne 20, 993) 'venerabilis antistes Christi, communis autem pater, affectu quo me proficiscentem detinuit, nunc etiam compulit excusantem, ut iterum dilectionem vestram tractatu mei sermonis adloquerer' vix ad alium referri possunt nisi ad Ambrosium, quem similiter Serm. XVI (v. supra) 'patrem communem' appellat. Ex ceteris Gaudentii sermonibus nihil de chronologia effici potest. Sermo XVII (Migne 20, 959), in quo Gervasii Protasii Nazarii martyrum reliquias 'ante paucos annos' ab Ambrosio repertas esse memorat, post huius mortem habitus est, quoniam se nuper sanctos cineres Sisinnii et Alexandri martyrum recepisse ait. Quorum corpora post Ambrosium mortuum detecta esse Paulinus testatur (vita Ambr. 52).

incensa est (Socr. Hist. eccl. V 13. Sozom. Hist. eccles. VII 14. Ambros. ep. 40, 13. cfr. Gueldenpenning, Kaiser Theod. p. 167).

388 Theodosii ex oriente iter contra Maximum; mense Iunio in Macedonia fuit (Cod. Theod. XVI 5, 15. XVI 4, 2. XII 1, 119). Maximus 'statim a Francis, a Saxonum gente in Sicilia Sisciae Poetavione, ubique denique terrarum victus est' (Ambr. ep. 40, 23. Gueldenpenning l. c. p. 157. Schiller l. c. II p. 406).

388 Iul. aut Aug. Maximi apud Aquileiam devicti interitus (Gueldenpenning p. 158. Schiller II p. 407. cfr. Ambr. Enarr. ps. LXI § 26 de obitu Theod. 39).
d. 22. Sept. ab Aquileia nondum profectus est Theodosius (Cod. Theod. XV 14, 6); die 14. Ian. anni sequentis Mediolanii legem dedit Cod. Theod. XV 14, 8.

388/9 'Extincto Maximo, posito Theodosio imperatore Mediolanii, Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiae in partibus orientis in quodam castello[9]) a christianis viris synagoga Iudaeorum et lucus Valentinianorum incendio concremata sunt' (Paulin. 22. 23). Ambrosii ep. 40 ad Theodosium, ep. 41 ad sororem (v. adnot.).

389 mens. Iun. Iul. Aug. Theodosius Romae versatus (Cod. Theod. XVI 5, 18. Gueldenpenning l. c. p. 175) d. 1. Sept. Mediolanium profectus est, ubi d. 26. Nov. edictum proposuit Cod. Theod. XVI 5, 19 (Gueldenpenning l. c. p. 179); hiemem cum Valentiniano et Honorio ibidem degit (cfr. chronol. Cod. Theod.).

390 Clades cruentissima a Theodosio in Thessalonicensium civitate perpetrata (Paulin. 24. Theodor. Hist. eccles. V 17. Ambros. ep. 51), propter quam graviter episcopus imperatorem increpuit (ep. 51). Synodus Mediolanensis contra Ithacianos Felicemque episcopum Treverensem (Ambros. ep. 51, 6, Concil. Taurin. a. 401 canon VI. Hefele, Conc. II p. 51; vide quae adnot. ad epp. 42 et 51). Litterae synodi ad Siricium papam? (Ambr. ep. 42 cum adnot.).

390 ex. Theodosii paenitentia publica (Ambr. de ob. Theod. 28. 34. Paulin. vita Ambr. 24. Theodor. Hist. eccl. V 17. August. Civ. dei V 26).

391 Synodus Capuana de schismate Meletiano et de Bonoso episcopo (Hefele, Concil. II p. 52; cfr. adnot. ad Ambr. ep. 56 et libr. de institutione virginis).
post mens. Iul. Theodosius Constantinopolim rediit, Valentinianus in Galliam (Gueldenpenning l. c. p. 194. Cod. Theod. XVI 2, 2).

391/2 Senatus Romani ad Valentinianum in Galliam legatio de restituenda Victoriae ara (Ambr. ep. 57, 5 de ob. Val. 19 sq. v. quae adnotavi ad epp. 17. 18 de hac quarta et superiore legatione).
ca. hoc tempus Ambrosii de institutione virginis liber conscriptus est (cfr. epp. 54. 55 cum adnot.).

392 d. 15. Mai. Valentinianus II Viennae ab Arbogaste occisus est

9) Callinici; cfr. Ambros. ep. 40, 13.

(testim. apud Gueldenpenning l. c. p. 212. cfr. Ambr. ep. 53, 2 de ob. Val. 25 sq.); cuius corpore Mediolanium transportato Ambrosius Theodosio ep. 53 scripsit de Valentiniani funere (v. adnot.).
mens. Aug. Ambrosii consolatio de obitu Valentiniani.

392 Quinta senatus de ara Victoriae legatio ad Eugenium Augustum (Ambr. ep. 57, 6 sq. Paulin. 26. Gueldenpenning l. c. p. 216. Seeck, Proleg. Symm. p. LVIII. cfr. adnot. ad Ambr. epp. 17 et 18).
Ambrosii ad Titianum ep. 52 (post mens. Iun.).

393 Ambrosius 'derelicta civitate Mediolanensi, ad quam ille (Eugenius) festinato veniebat, ad Bononiensem civitatem emigravit atque inde Faventiam usque perrexit. Ubi cum aliquantis degeret diebus invitatus a Florentinis ad Tusciam usque descendit declinans magis sacrilegi viri aspectum, non formidans imperantis iniuriam' (Paulin. 27. Tillemont note 48 sur Ambr. Gueldenpenning l. c. p. 219).
Ambrosii ad Eugenium ep. 57.
ca. hoc tempus eiusdem ep. 58 ad Sabinum episcopum data est.

393/4 Florentiae libellum scripsit ad Pansophium puerum (Paulin. 28. cfr. 50). Ibidem Iulianae basilicam dedicavit, 'in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis et Agricolae, quorum corpora in Bononiensi civitate levaverat' (Paulin. 29). Sermo, quem tunc habuit, libellus est qui inscribitur 'Exhortatio virginitatis' (v. adnot.).
Ambrosii ep. 59 ad Severum episcopum.

394 Paulinus post dies paschales Nolam secessit (Migne 61, 49 sq. Tillemont, Mém. X p. 254; v. quae adnot. ad Ambr. ep. 58). Theodosius a Constantinopoli castra movit contra Eugenium (Gueldenpenning l. c. p. 224).
c. Kal. Aug. Ambrosius Mediolanium revertit (ep. 61, 2).
d. 6. Sept. Eugenius apud Aquileiam a Theodosio devictus et occisus (Gueldenpenning l. c. p. 225. cfr. Ambr. Enarr. ps. XXXVI § 25). Paullo post Ambrosius 'obsecratus est primo scriptis imperatorem misso diacono (ep. 61 et 62), postea vero quam directus est Iohannes tunc tribunus et notarius, qui nunc praefectus est, ad tuitionem eorum, qui ad ecclesiam confugerant, etiam ipse Aquileiam perrexit precaturus pro eis, quibus facile venia impetrata est'. (Paulin. 31. cfr. adn. ad epp. 61. 62).
Mediolanium rediit die antequam Theodosius advenit (Paulin. 32).

post 394 (Eugenii cladem) Enarrationes psalm. XXXV—XL scriptae sunt (v. adnot.).

395 d. 17. Ian. Theodosius Mediolanii diem obiit supremum (testim. ap. Gueldenpenning l. c. p. 232).
d. 26. Febr. Ambrosii oratio de obitu Theodosii (de ob. Theod. 3). 'Quo in tempore sancti Nazarii martyris corpus, quod erat in horto positum extra civitatem, levatum ad basilicam apostolorum, quae est in Romana, transtulit' (Paulin. 32. 33. cfr. Paulini Nolani carm. 27, 436. Migne 61, 658).

396 Cresconius quidam ex ecclesia raptus a Stilicone comite (Paulin. 34.' Tillemont X p. 256).

Ad Fritigil reginam Marcomannorum Ambrosius 'epistulam fecit praeclaram in modum catechismi, in qua etiam admonuit, ut suaderet viro Romanis pacem servare; qua accepta epistula mulier suasit viro, ut cum populo suo se Romanis traderet. Quae cum venisset Mediolanium, plurimum doluit, quod sanctum sacerdotem, ad quem festinarat, minime repperisset; iam enim de hac luce migraverat' (Paulin. 36).[10])

ca. hoc tempus fortasse ep. 63 ad ecclesiam Vercellensem scripta est (v. adnot.).

397 Ticini episcopum Ambrosius ordinavit, fortasse Eventii[11]), qui a. 381 concilio Aquileiensi et a. 390 synodo Mediolanensi (cfr. ep. 42) interfuit, successorem. Paullo post in morbum incidit (Paulin. 45). Hoc tempore Enarrationem psalmi XLIII scripsit, quam non absolvit (Paulin. 42).

397 d. 4. Apr. Ambrosius e vita decessit (Paulin. 32: 'post cuius [sc. Theodosii] obitum fere triennium supervixit'; § 47: 'Honoratus etiam sacerdos ecclesiae Vercellensis cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit dicentisque sibi: surge, festina, quia modo est recessurus; qui descendens obtulit sancto domini corpus, quo accepto ubi glutivit emisit spiritum'; § 48: 'atque inde ad ecclesiam maiorem antelucana hora qua defunctus est corpus istius portatum est ibique eadem fuit nocte qua vigilavimus in pascha' e. q. s.).[12])

---

10) De tempore hoc tantum constat scriptam esse epistulam illam non multo antequam moreretur.

11) Iuventii? cfr. Tillemont note 14 sur Ambr.

12) Paschae dominica a. 397 in diem 5. Apr. cecidit. Martyr. Rom. 4. Apr. 'Mediolanii depositio s. Ambrosii episcopi et confessoris, cuius studio inter cetera doctrinae et miraculorum insignia tempore Arianae perfidiae tota fere Italia ad catholicam fidem conversa est' (cf. Hieron. chron. ad a. 2390). Successit Ambrosio Simplicianus senex (Augustin. Retract. II 1, 1 al.), quem ipse Ambrosius moribundus successorem designasse dicitur (Paulin. 46). Marcellinus in Chron. anno demum 398 Ambrosium mortuum esse tradit (Honorio IV et Eutychiano coss.) perperam. Nam in actis concilii Carthaginiensis, quod convenit d. 28. Aug. a. 397, iam Simplicianus episcopus nominatur (Mansi, Conc. III p. 891. 924: 'de Donasticis placuit, ut consulamus fratres et consacerdotes nostros Siricium et Simplicianum.' Hefele l. c. II p. 68sqq.). Gregorio Turonensi, qui (de miraculis S. Martini I 5) miro modo Ambrosium per somnum mortem Martini episcopi Turonensis divinasse narrat, iam Baronius aliique fidem denegaverunt. Martinus mens. Nov. a. 397 obiisse vulgo putatur (Tillemont X p. 779).

II. Scripta Ambrosii.

Editores Maurini de Ambrosio omnium optime meriti scripta eius ita disposuerunt, ut prius volumen libros contineat, 'qui quodam suo iure ad scripturas divinas referuntur', alterum reliquas episcopi commentationes, 'quibus propriae eximiis quibusdam christianae vitae generibus virtutes atque institutiones edocentur et catholica dogmata vel enucleantur rudioribus vel ab impietate haereticorum defenduntur'. Quibus subiecerunt epistulas, consolationes de obitu Satyri fratris, Valentiniani Theodosiique imperatorum, hymnos. Eundem fere ordinem Ballerinius novissimus editor[1]) secutus est, qui plane Maurinorum studiis subnititur, quorum diligentiam et acumen in sua ipse editione assecutus non est. Neque ego in instituendis his de scriptis Ambrosianis quaestionibus ab ordine a Maurinis proposito multum recedere utile duxi. Ordo autem chronologicus ex indice in fine capitis posito melius perspicietur.

Hexaemeron.

Libri sex, quos Hexaemeron appellavit Ambrosius secutus Origenem Basiliumque[2]), ex novem sermonibus compositi sunt, quos ad populum sex deinceps diebus[3]) recitavit. Primo die habiti sunt sermones I (lib. I 1, 1 — I 6, 24) et II (lib. I 7, 25 — I 10, 38) ante meridiem et post meridiem; secundo die sermo III (lib. II) horis postmeridianis[4]); tertio die sermones IV (lib. III 1, 1 — III, 5, 24)

1) Ambrosii opera omnia ed. P. A. Ballerini 6 voll. Mediol. 1875—1886. Maurinorum editio prodiit Parisiis 1686—1690, iterum excusa est Venetiis 1781 sqq. (Migne Patrol. vol. XIV—XVII).

2) Hieron. ep. 84, 7 (ad Pammach.): 'centum quinquaginta anni prope sunt ex quo Origenes mortuus est Tyri . . . nuper s. Ambrosius sic Hexaemeron illius compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basiliique sequeretur'. cfr. ep. 112 (ad Augustinum): 'quorum priorem (Origenem) et noster Ambrosius in quibusdam secutus est'. Laudantur Ambrosii libri praeterea a Cassiodorio Inst. div. litt. 1: 'deinde sanctus Ambrosius, ut est planus atque suavissimus doctor, exinde sex libros eloquentiae suae more confecit, quos Hexaemeron appellavit'.

3) VI 1, 1 'qui (sermo) etsi per quinque iam dies non mediocri labore nobis processerit, tamen hodierno die' e. q. s.

4) II 5, 22 'sed iam etiam secundus dies nobis claudatur dies, ne dum opus astruimus firmamenti, infirmiores eos qui audiunt dicendi prolixitate faciamus, dum in noctem sermo producitur' e. q. s.

et V (lib. III 6, 25 — III 17, 72); quarto die sermo VI (lib. IV) horis postmeridianis[5]); quinto sermones VII (lib. V 1, 1 — V 11, 35) et VIII[6]) (lib. V 12, 36 — V 25, 92) ante meridiem et post meridiem[7]); sexto denique sermo IX (lib. VI) tempore ut videtur antemeridiano.[8]) Maurini ca. a. 389 libros conscriptos putant coniectura non satis certa. Sese iam provectiorem aetate esse ipse Ambrosius indicat hisce verbis: 'nam quae pueri risimus, ea senes commemorare qui possumus?' (IV 5, 20). Sed quae sit ambiguitas in voce 'senis' nemo non videt. Hoc tantum certum est habitos esse illos sermones, postquam hymnorum cantus in ecclesiis publicus ab episcopo institutus est, cuius bis fit mentio[9]), h. e. post a. 386.[10]) V 24, 88, ubi de gallo gallinaceo loquitur, Ambrosio obversatum esse ipsius hymnum 'Aeterne rerum conditor' aperta adsunt vestigia.[11]) Certior temporis nota invenitur nulla neque ex ep. 43, 1 et 45, 1, ubi huius operis mentionem movet, erui potest.

De paradiso

librum scripsit 'nondum veteranus sacerdos' aliquantulo ante Hexaemeron.[12]) Iniuria huic libro in serie Ambrosianorum primum assignari locum a Maurinis aliis puto, qui iam a. 375 scriptum esse volunt, id quod verba illa 'nondum veteranus sacerdos' minime suadent.[13]) Certe ex primis opusculis est scriptus ante libros 'de Cain et Abel' et 'de Abraham'.[14]) Laudatur ab Augustino Contra Iul. Pelag. II 5, 13; 6, 16; 7, 20.

De Cain et Abel libri II

scripti sunt statim post librum de paradiso, ut ipse testatur Ambrosius I 1, 1: 'de paradiso in superioribus pro captu nostro, ut potuimus, quod dominus infudit, sensus invenit, digessimus, in

---

5) IV 9, 34 'sed iam cavendum ne nobis in sermone dies quartus occidat'.

6) V 12, 36 'et cum paullulum conticuisset, iterum sermonem adorsus ait' verba sunt cuiusdam notarii.

7) V 24, 84 'dum sermonem producimus, ecce tibi iam et nocturnae aves circumvolant' c. q. s.

8) V 25, 92 'fiat nobis mane dies sextus'. VI 10, 75 'sed iam finis sermoni nostro sit, quoniam completus est dies sextus et mundani operis summa conclusa est'.

9) III 1, 5. III 5, 23.

10) cfr. infra adn. Serm. contra Aux. et hymnorum.

11) cfr. adnot. infra ad hymnos.

12) ep. 45, 1 'lecto Hexaemero utrum Paradisum subtexuerim requirendum putasti et quam de eo haberem sententiam significandum idque velle te studiose cognoscere: ego autem iam dudum de eo scripsi nondum veteranus sacerdos'.

13) cfr. adn. ad libros de virginibus.

14) de Abrah. II 1, 1 'maxime cum iam in Adam intellectus profundioris exordia degustaverimus' (de parad. cap. 2).

quibus Adam atque Evae lapsus est comprehensus. Nunc . . . sequentem adoriamur historiam et ea, quae secundum scripturas annexa sunt divinas, nostro opere prosequamur.' Verisimile est Ambrosium in libro de Benedict. patriarcharum[15]) 11, 55 'omne enim sanctum primogenitum, sicut alibi demonstravimus; unde et Levi non aetatis ordinis, sed sacrae successionis praerogativa primogenitus meruit nuncupari' delegare ad libr. de Cain II 2, 7 sq. (cfr. II 4, 13). Neque praetermittenda verba existimo libri de Incarn. domin. 1, 2 ubi de duobus Gratiani cubiculariis loquitur: 'itaque dum illi forsitan veniunt, ad istos, qui propositi sunt, deflectamus agricolas' h. e. ad Cain et Abel. Tunc igitur (intra annos 380 et 383)[16]) de illis videtur tractasse.

De Noë et arca.

Mutilum esse non paucis locis hunc Ambrosii libellum Maurini editores viderunt. Fragmentum ab Augustino bis ex libro 'quem de arca Noë conscripsit beatus Ambrosius' prolatum hodie in codicibus desideratur.[17]) Certum annum cui adscribam non invenio, sed aperte scriptus est temporibus turbidissimis, quibus ecclesiae ipsique episcopo exagitationes vexationesque cotidianae impendebant.[18]) Maurini anno 379 tribuunt. Sed quae de ecclesiae vexationibus deque suo periculo dicit, minus ad illud tempus videntur quadrare, quo barbari Valente devicto magnam imperii Romani partem vastabant. Neque ex verbis 17, 60 'sicut indictionum praesentium usus ostendit' certi quicquam de tempore effici potest. Hoc autem mihi persuasum est scriptum esse librum et ante libros de officiis[19]) et ante libros de Abraham secutumque esse libros de paradiso et de Cain et Abel, cum ordine se res veteris testamenti tractare dicat.[20])

---

15) qui scriptus est post a. 386; cfr. infra p. 17.

16) cfr. adn. libri de Incarn.

17) August. contra duas ep. Pel. IV 11, 29. contra Iul. Pel. II 2, 4 (cfr. contra sec. Iul. resp. I 66).

18) 1, 1 'dignum est ut nos quoque describamus eum ad imitationem omnium et requiescamus in eo ab omni istius mundi sollicitudine, quam cotidie diversis exagitationibus sustinemus. Pudet filiis supervivere, taedet, cum tot adversa audiamus carissimorum, lucem hanc carpere; ipsarum ecclesiarum diversos fluctus tempestatesque vel praesentes subire vel animo recipere, quis tam fortis, ut patienter ferat?' 1, 2 'requiescamus etiam ab omni cura terrenae conversationis, quae corpus nostrum atque animam frequentibus vexat doloribus vitamque adterit'.

19) de offic. I 18, 78 'quod alio loco etiam altius interpretati sumus' scil. in libro de Noë cap. 8.

20) de Abrah. I 1, 1 'Abraham libri huius titulus est, quoniam per ordinem huius quoque patriarchae gesta considerare animum subit'.

Libri de patriarchis

(de Abraham libri II, de Isaac, de bono mortis, de Iacob libri II, de Ioseph, de benedictionibus patriarcharum).

Libri de patriarchis septem quos memorat Cassiodorius Inst. div. litt. cap. 1 hi videntur: de Abraham libri II, libri de Isaac[21]) et de bono mortis, de Iacob et vita beata libri II, de Ioseph.[22]) Libro de Ioseph continuari videtur tractatus de benedictionibus patriarcharum, quem Maurini in septem illis Cassiodorii libris numerari voluerunt, fortasse recte, etsi non minus probabiliter liber de bono mortis intellegi potest, qui tamquam alterum de Isaac librum ipse se prodat.[23]) Quos libros omnes Maurini aeque ut libellum de fuga saeculi circ. a. 387 editos arbitrantur profecti a libro de Ioseph, quem non ante a. 387 scriptum esse posse videbimus. Sed cum in libro de Isaac ante libr. de Ioseph edito (de Ios. 1, 1) delegetur ad Exposit. ps. CXVIII, quam non ante a. 388 absolutam puto, hunc posteriori anno adscribi necesse est. Ceterum rarae insunt in his libris temporis notae. Libros de Abraham editos esse constat post libros de paradiso[24]) et de excessu Satyri fratris[25]), post annum igitur 379. Librum de Isaac, quem excipit liber de bono mortis, post Exposit. ps. CXVIII ortum esse iam dixi, et cum sedato placidoque tempore scriptus videatur[26]), Maximum tunc iam victum fuisse (a. 388 mense Aug.) probabile est. Secuti sunt libri II de Iacob et vita beata.[27]) In libro denique de Ioseph haec notanda sunt verba 6, 33: 'et factum est, inquit, post biennium (Genes. 41, 1). Mentior[28]) de hoc nostri spadonis tempore, nisi et dies convenit, quia post biennium recepit officium nec recordatus est, sed admonitus ... sed cito hunc locum praetereat dolor, ne ipsa commemo-

---

21) Cassiod. Inst. div. litt. 5 'unde etiam et s. Ambrosius in libro tertio patriarcharum, ubi de persona Isaac loquitur, multa salubriter luculenterque disseruit'. Laudatur idem liber ab Augustino Contra Iul. Pel. I 9, 44. II 5, 12. Contra sec. resp. IV 109.

22) Cassiod. l. c. 6 'nam et s. Ambrosius in libro patriarcharum, ubi de persona Ioseph ipse loquitur, secundum librum Macchabaeorum exempli causa commemorat'. — Nisi omnia fallunt hoc ipso ordine libri editi sunt; cfr. de Ios. 1, 1 'de quibus (scil. de Abraham Isaac et Iacob) mihi cum frequens tractatus fuerit, hodie sancti Ioseph historia occurrit'.

23) de bono mort. 1, 1 'quoniam de anima superiore libro sermonem aliquem contexuimus' etc.

24) cfr. de Abr. II 1, 1 ubi delegat ad lib. de parad. 2, 11.

25) cfr. de Abr. I 5, 33; spectat ad librum de fide resurrectionis (de exc. Sat. II 96).

26) de Isaac 4, 37.

27) Fortasse ante libr. de offic. scripti sunt; nam quae de Macchabaeis tractat de Iacob II 11 sq. simillimis verbis sed paucioribus tanguntur de offic. I 41, 201 sq.

28) Non intellego cur Ballerinius adnotet 'mentior' hic non significare 'mendacium profero', sed 'mentionem facio'.

ratione crudescat; ne ipsius quidem sermonis mei meminisse delectat, quem tunc temporis vel effuderit dolor vel extorserit ecclesiae contumelia'; et infra 6, 35: 'Et Doech praepositus erat et praepositus regis animalium ad disciplinam mulorum, hoc est spadonum animalium. Hic quoque sacerdotem domini detulit et fraude regem commovit in sacerdotis periculum, et hic Syrus erat. Num mentior, quando et patria et facta conveniunt? Aman quoque cubiculo regis et ipse praepositus, dum invadere ecclesias domini improba temeritate contendit populumque fidelem spoliare ac persequi, gravibus sacrilegia suppliciis expendit'.[29]) Homo autem, quem hic perstringit pater sanctus, quin sit Calligonus, praepositus cubiculi Valentiniani iunioris, non dubium est. In epistula enim, qua Ambrosius Marcellinae sorori narrat quantam persecutionem subierit, scripta a. 385, hisce verbis quae inter se Calligonumque intercesserant exponit (ep. 20, 28): 'Denique etiam speciali expressione Calligonus praepositus cubiculi mandare mihi ausus est: me vivo tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo. Respondi: deus permittat tibi, ut impleas quod minaris; ego enim patiar quod episcopi, tu facies quod spadones'. Opportune Augustini accedit testimonium Contra Iul. Pelag. VI 14: 'Calligonum Valentiniani iunioris eunuchum gladio novimus ultore punitum meretricis confessione convictum'. Quod cum 'post biennium' factum dicat Ambrosius, non ante a. 387 liber de Ioseph conscriptus est.

Tractatus de benedictionibus patriarch. post Expos. evang. Luc. (a. 386) scriptus est[30]) fierique potest propter argumenti affinitatem, ut librum de Ioseph sit secutus. Accedit quod in codice vetustissimo a Maurinis inspecto haec inscriptio praemissa est: 'incipit secundus de Ioseph et fratribus eius et de benedictionibus eorum'; in aliis inscriptio legitur: 'incipit liber secundus de patriarchis', subscriptio haec: 'explicit liber secundus de patriarchis'. Cap. 11, 55 'sicut alibi demonstravimus' probabilius duco delegare scriptorem ad libr. II de Cain et Abel 2, 7 sq., quam ad ep. 33, ubi eadem res tractatur.

De fuga saeculi

libellum Maurini una vel pluribus contionibus constare sibi persuaserunt, quas 'dubio procul' festis paschalibus circ. a. 387 pronuntiaverit ad homines recens baptizatos. Sed annus plane dubius est. Certior temporis nota nulla inest nisi una 3, 16, ubi ad stabiliendam loci ex epist. ad Hebraeos 7, 26 sumpti constructionem ('talis enim nobis decebat') haec adnotat: 'recta elocutio siquidem

---

29) cfr. etiam 6, 30 et 7, 38.

30) De bened. patr. 4, 21 'postea enim, ut docuimus tractatu habito in evangelium [Exp. ev. Luc. III 41], per Herodem adulterata successio praerogativam dignitatis amisit'.

et apud eos, qui verborum et elocutionum dilectum habuerunt, huiusmodi invenitur dicente aliquo „locum editiorem quam victoribus decebat"[31]); quod ideo non praeterii, ut sciamus quia apostolus naturalibus magis quam vulgatis aut secundum artem utitur verbis'. Verba sunt Sallustii Hist. I frg. 100 Kr. servata a Servio ad Verg. Aen. VIII 127 et Arusiano Messio (Keil, Gramm. lat. VII p. 465). Ambrosium ex ipso Sallustio hausisse quominus credamus ipsius verba prohibent. Immo fons eius, id quod primus vidit Buechelerus Mus. Rhen. XLIII p. 293, Arusianus grammaticus fuit, qui 'exempla elocutionum ex Vergilio Sallustio Terentio Cicerone digesta per litteras' composuit.[32]) Quem aequalem fere Ambrosii fuisse ex codicis Berolinensis, olim Santeniani 66 inscriptione 'incipit Messi oratoris de elocutionibus | Olybrio et Probino Messius' apparet.[33]) Olybrius autem et Probinus a. 395 adulescentuli ad consulatum pervenerunt.[34]) Quorum nomina, quoniam fratres erant, etiam praeter consulatus occasionem uni libro potuisse inscribi iam Hauptius monuit. Neque minus ad illam aetatem quadrat quod inter elocutionum exempla duo profert Messius Symmachi aequalis, quae fragmenta hodie in illius scriptis desiderantur. Sunt autem haec 1. sub voce *arrisit illi* (p. 458 Keil) 'Symmachus ad Theodosium imperatorem: *beatum iam parvulum meum cui pium*'[35]); 2. sub voce *largior hanc rem:* 'Symmachus ad Theodosium imperatorem *solere principes bona verba largiri*' (p. 489 Keil). Symmachum apologeticum scripsisse scimus ad Theodosium de panegyrici in Maximum tyrannum crimine a. 388 exeunte (post victum Maximum).[36]) Cuius apologetici fragmenta illa esse Seeckius negat, qui ad aliud refert scriptum deperditum, gratiarum scilicet actionem pro consulatu anni 391 accepto a Symmacho recitatam. Quod non sine probabilitatis specie concludit ex Prosperi Aquitani (?) de promissionibus dei lib. III 38, 2 'cui (sc. Theodosio) Symmachus ille mirabili eloquio et scientia praeditus, tamen paganus, praeconio laudum in consistorio recitato, subtili arte qua valuit aram Victoriae in senatu restitui christiano, ut noverat, principi intimavit'.[37]) Quem panegyricum diversum esse ab illo apologetico ratus quoniam orator capitis crimine vix absolutus aram Victoriae repetere certe non ausus esset, sed ut de gratiarum actione cogitemus, et rem ipsam suadere et temporum rationem, addit prioris fragmenti verba docere occasionem orationis magnum imperatoris beneficium fuisse, quod non solum

---

31) cfr. de constructione Robolski, Sallustius in conformanda oratione etc. (Halae 1881) p. 19.

32) Cassiod. Inst. div. litt. 15 quadrigam appellat.

33) Haupt, Opusc. III p. 426. Keil, Gramm. lat. VII p. 447.

34) Claudiani panegyr. in consul. Olybrii et Probini vv. 69. 142.

35) Seeckius ed. Symmach. p. 340 supplet 'arrisit'.

36) Seeck, Proleg. Symm. p. VI.

37) Seeck l. c. p. LVIII; cfr. quae adnotavi ad Ambr. epp. 17. 18.

Symmacho ipsi, sed etiam filio eius tributum sit. Quod si recte statutum est — de qua re licet dubitari — intra annos 391 et 395 Messii quadriga prodiit, sin minus, hoc pro certo haberi potest editam esse post a. 388, quo anno Maximus a Theodosio victus necatusque est. Vix igitur fieri potest ut Ambrosius libellum de fuga saeculi ante a. 389/90 conscripserit. Minus credibile duxerim ipso consulatus anno Messium scripsisse ad iuvenes illos, quorum Claudianus laudibus effert studia oratoria[38]), cum iam ineunte a. 397 episcopus mortuus sit. Laudatur Ambrosii libellus ab Augustino non uno loco.[39])

De Elia et ieiunio

librum Maurini ca. a. 390 scriptum putant, quo tempore Theodosius una cum Valentiniano et Honorio Mediolanii versabatur, adducti ut videtur loco 17, 62 ubi de viris militaribus eorumque commissationibus verba facit, qui propinantes dictare soleant ʻopto salutem imperatorum', quod inde concludi posse nego. Nihil effici potest nisi hoc editum esse librum post hymnorum cantum in ecclesiis publicum institutum (a. 386).[40]) Quod si 3, 5 se iam multa de Eliae gestis frequenti diversorum librorum sermone digessisse ait et cavendum esse ne in eadem recurrat, haec quonam sint referenda difficile est dictu, quoniam multis locis de Elia loquitur.[41]) Addo librum, ut plerosque Ambrosianos, conflatum esse ex sermonibus, quos ineunte quadragesima de ieiunio ad populum habuit.[42])

De Tobia

liber pluribus sermonibus, quos in feneratores dixit, concinnatus est.[43]) Cum similia nonnullis locis Ambrosius disputet atque in epistula ad Vigilium episcopum Tridentinum data a. 385[44]), Maurini, quos

38) Panegyr. in cons. Olyb. et Prob. 150 ʻPieriis pollent studiis multoque redundant eloquio'; Carm. min. II 3 (Epist. ad Olybr.) ʻsed quae tam prona facultas, carmina seu fundis, seu Cicerona tonas?'

39) Contra duas ep. Pel. IV 11, 30; de bono persever. VIII 20. XIV 33. XIX 48. cfr. contra Iul. Pel. II 8, 23.

40) De Elia 15, 55 ʻhymni dicuntur et tu citharam tenes? psalmi canuntur et tu psalterium sumis aut tympanum?'

41) De fuga saec. 6, 34; de offic. II 4, 14; epist. 38, 7; 63, 75; paullo fusius de viduis 1, 3; 3, 14. Expos. ev. Lucae I 36. VIII 96.

42) De Elia 1, 1 ʻcanamus tuba tamquam in proelium progredientes; canamus tuba, ut adnuntiemus sollemnitatis diem, simul nobis et certamen imminet et victoria repromittitur. Victoria nostra crux Christi est, tropaeum nostrum pascha est domini Iesu'. cfr. 15, 53; 19, 70; 20, 70; 21, 77.

43) De Tob. 1, 1; 23, 88: ʻnec fallit dixisse aliquos cum a n t e h o c b i d u u m tractatus noster eorum compunxisset affectum: quid sibi voluit episcopus' e. q. s.

44) cfr. ep. 19, 4 cum de Tob. 2, 8; 14, 49; 16, 54; ep. 19, 3 (cfr. ep. 2, 12) cum de Tob. 24, 92 al.

secutus est Foerster[45]), patrem sanctum hoc non facturum fuisse coniecerunt, nisi ipse ante de ea re scripsisset, libellumque de Tobia ca. a. 377 editum esse sumunt. Quae ratiocinatio debilior mihi videtur. Meliore fortasse iure mireris, quod in epistula illa, ubi de Tobia loquitur, librum a se de eo ante scriptum non commemoravit, ut aliis locis facit[46]), ita ut post illam epistulam de Tobia eum scripsisse libenter putaverim. Ex ea re quod 11, 39 Hunnorum inicit mentionem nihil efficitur nisi hoc post a. 375 librum compositum esse, quo anno primum gentis illius nomen innotuit.[47])

Erasmus et post eum alii hanc scriptionem Ambrosio abiudicaverunt satis temere, cum Augustinus in libro contra Iul. Pel. I 3, 10 duos laudet locos ex Ambrosii 'Expositione libri Tobiae' (9, 33 et 23, 88).

De Nabuthe Iezraelita.

Tractatus est contra divites de avaritia proposita historia de Nabuthe et Achab rege (III Reg. 21, 1 sqq.). Eodem autem fere tempore scriptum existimaverim atque librum de Elia propter similitudinem quandam argumenti generisque dicendi. Accuratior temporis definitio dari nequit. Nam quod Maurini contendunt a. fere 395 tribuendum esse, quippe cum illo tempore consulum principum omnino divitum avaritia foedissime pullulaverit[48]), incertissimum est argumentum, neque magis Ballerinii opinionem amplecti possum, qui mortuo demum Theodosio librum editum esse censet. Si hoc uno tantum libro episcopus de avaritia tractaret, probabilior fortasse Maurinorum esset coniectura; sed quotiens queratur de illo malo, videsis ex rerum indice ab editoribus illis confecto.[49]) Neque minus Nabuthis historiam in aliis scriptis proponit. Non pauca Ambrosium ex Basilii homiliis mutuatum esse viros doctos non fugit, id quod cadit etiam in libros de Elia et de Tobia.[50]) Quae tria scripta, quantum ex sermone et genere dicendi conici licet, affinitatem quandam videntur prae se ferre.

De interpellatione Iob et David libri IV

quo conscripti sint anno non constat. Maurini ca. a. 383 scriptos putant, antequam populi cantus in ecclesia fuerit institutus, quod

45) Ambrosius p. 87.
46) cfr. ep. 43, 1; 45, 1.
47) Eandem gentem commemorat in Exposit. evang. Luc. X 10 et ep. 24, 8.
48) De Nab. 14, 61; cfr. Paulin. vita Ambr. 41.
49) Rectissime ipse pater sanctus de Nab. 1, 1 'Nabuthe historia', inquit, 'tempore vetus est, usu cotidiana: quis enim divitum non cotidie concupiscit aliena?' et de offic. II 26, 130 'vetus igitur et antiqua avaritia est'.
50) Foerster, Ambros. p. 120—122; cfr. imprimis Basilii homiliae de ieiunio, in divites, in Luc. XII 18, in ps. XIV.

efficiunt ex II 6, 24, ubi psaltarum mentio fit.[51]) Deinde verbis nituntur IV 8, 24 'exemplum accersamus de saeculo: vide quemadmodum in civitatibus bonorum principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum', quae referunt ad Gratianum a. 383 occisum, cuius imagines illo extincto 'populus cui iuvenis ille princeps tam iustum sui reliquerat desiderium conservavit'. Nam cum Antiochenses seditione facta a. 387 Theodosii eiusque familiae statuas everterint[52]), fieri non posse illi arbitrantur, ut post illud factum Ambrosius summae prudentiae vir, apud quem in summo honore fuerit Theodosius, eis verbis usus sit. Quae ratiocinatio ne argutior quam verior sit vereor. Nam quae de psaltis memorantur nullius momenti duco, neque quae de imperatorum imaginibus facit verba ut ad certum aliquod factum referantur quicquam cogit. Sin hoc minus placet, magis consentaneum videtur esse, cum de tyrannorum imaginibus maiore quadam vi loqui videatur, cogitare vel de Maximo vel de Eugenio tyrannis, ita ut aut post a. 388 aut post a. 394 libri illi editi dici possint.[53]) Sed res incerta est. Ceteri viri docti ut adsolet in Maurinorum argumentatione acquieverunt.

Secundum huius operis librum Erasmus, qui primus edidit, Ambrosio abiudicari voluit discrepantia quadam generis dicendi commotus adscribique nescio quo iure auctori librorum 'de Vocatione gentium'.[54]) Sed tota operis indoles hunc secundum librum flagitat. Librum enim primum de interpellatione Iob alter sequitur de interpellatione David, quibus respondent libri duo posteriores, tertius de Iob, quartus de David.[55]) In genere autem dicendi nihil invenio quod offendat.

Apologia prophetae David.

Codices nonnulli huic inscriptioni adiciunt 'ad Theodosium Augustum', de quibus verbis dubitatum est. Ad tempus quo scripta sit definiendum valent quae leguntur 6, 27: 'Utinam hunc virum (David) imitati essent posteri, non tantas bellorum pertulissemus acerbitates! arguis quod unum occiderit, non consideras quod docuerit quemadmodum pax orbi Romano perpetua servaretur. Quam gravi adhuc luimus vastitate, quam publico quodam totius orbis funere appetiti necem regis exsolvimus? heu dira supplicia! inde adhuc nobis barbarus hostis insultat, dum parata adversum se in nos arma vertuntur.' Referri haec non possunt nisi ad caedem Gratiani Augusti a. 383 mense Aug. perpetratam. Terminus ante quem

---

51) 'Non ergo aliqui addant *domine*, ut psaltae faciunt, quod neque in latino codice inveni meo neque in graeco neque in evangelio, quod est evidentius.'

52) Gueldenpenning, Kaiser Theod. p. 141 sqq.

53) Enarr. ps. XXXVIII § 27 'hic siquis tyranni imagines habeat, qui iam victus est, iure damnatur' spectare putarim ad Eugenium victum.

54) Migne Patrol. XVII p. 1073.

55) cfr. de interp. III 1, 1. IV 1, 1.

scripta est, efficitur ex Expos. evang. Luc. III 38 'de qua historia (sc. de caede Uriae) quoniam alibi plenius diximus, hic transeundum videtur', quae spectare ad Apologiam David manifestum est. Intra annos igitur 383 et 385 scriptam dicemus.[56]) De Apologia David altera infra dicendum erit. Ab Augustino una tantum laudatur eaque prior.[57])

Enarrationes in psalmos XII Davidicos.

Commentaria in psalmos Ambrosius conscripsit hos I, XXXV—XL, XLIII, XLV, XLVII, XLVIII, LXI, CXVIII[58]), quae non hoc ordine se excipiunt. Breviores praeterea enarrationes inseruit psalmorum XLI et XLII libro de interpell. II, psalmi L Apologiae David (8, 41 sqq.), psalmi LXXII libro de interpell. IV, psalmi CXIV consolationi de obitu Theodosii.[59])

Omnium primo scriptam puto psalmi I enarrationem propter prologum satis amplum, quem praemisit de laude et utilitate psalmorum, in quo non pauca insunt Basiliana. § 51 ipse revocat ad libros de excessu Satyri fratris scriptos a. 379.[60]) In prol. § 9 de hymnorum psalmorumque cantu in ecclesia publico loquitur, ita ut post a. 386 hanc enarrationem elucubraverit. Sed nihil cogit, ut cum Maurinis statuamus eam ultra a. 390 reiciendam non esse propter 'studia recentis instituti adhuc ferventia'.

Enarr. ps. XXXV—XL deinceps conscriptae videntur.[61]) In quibus hae insunt temporis notae. Ad Iustinae persecutiones pertinent quae leguntur in Enarr. ps. XXXVI § 19 'extiterunt Ariani regali subnixi potentia, qui templum domini putarent sibi esse tradendum, supplicia acerba minitantes; sed absit ut apud mentem domino servientem praeponderaret magis poenae formido quam forma pietatis: non praevaluit perfidia, quia fides restitit.'[62]) Ibidem § 49 Sarmationem et Barbatianum monachos apostatas non obscure per-

56) Vide quae mox proferentur de tempore Expos. ev. Luc.

57) Contra Iul. Pel. II 7, 20. I 4, 11. contra duas ep. Pel. IV 11.

58) Cassiod. Inst. div. litt. 4 'in quibusdam psalmis b. Hilarius, b. Ambrosius et b. Hieronymus, in omnibus tamen Augustinus studiose nimis latiusque tractavit'.

59) Enarr. ps. XXXVI § 32 pollicetur commentarium psalmi LVII quem non reliquit.

60) 'Et de resurrectione quidem plurima divinarum scripturarum sunt testimonia, quae non praetermisimus in libris consolationis et resurrectionis.'

61) Enarr. ps. XXXVI § 3 'pulchre autem sanctus David in superiore psalmo (35) iniusti vitam describit, hic iusti'. XXXIX § 1 'in superioribus psalmis poenitentiam praedicavit, deinde de patientia sua et de perturbatione hominis est locutus; in trigesimo autem nono' etc. XXXVIII § 1 'in superiore psalmo expressa forma poenitentiae est, in hoc sequenti patientiae forma signatur'. XL § 1 'bono ordine qui in superiore psalmo dixit *Ecce venio,* in hoc iam venit et patitur'.

62) cfr. Sermo contra Aux. de basilicis tradendis.

stringit[63]), de quibus fusius agit in ep. 63 ad Vercellensem ecclesiam data sub fine aetatis. § 25 dilucide victoriam commemorat a Theodosio de Eugenio a. 394 (mense Sept.) reportatam.[64]) Ad quam victoriam nescio an spectent haec quoque verba Enarr. ps. XXXVIII § 27 'hic si quis tyranni imagines habeat, qui iam victus interiit, iure damnatur'. Ad caedem Thessalonicensem a. 390 perpetratam Theodosiique paenitentiam quin revocet auctor in Enarr. ps. XXXVII § 43 'vides ergo quia regibus non temere vel a prophetis vel a sacerdotibus facienda iniuria sit, si nulla sint graviora peccata, in quibus debeant argui: ubi autem peccata graviora sunt, ibi non videtur a sacerdote parcendum, ut iustis increpationibus corrigantur' vix dubium est.[65]) In Enarr. ps. XL § 38 denique ad Expos. ev. Luc. ita delegat, ut haec iam ante aliquot annos scripta videatur.[66])

Enarr. ps. XLV. XLVII. XLVIII antea an postea scriptae sint parum liquet. Ex Enarr. ps. XLVIII Augustinus locum affert (§ 8) in libro contra Iul. Pel. I 4, 11. In Expos. ev. Luc. III 15 sese de illo psalmo scripturum esse Ambrosius indicat hisce verbis 'licet sit versiculi istius (ps. 48, 8) et alia interpretatio, quam suo dicemus loco' (Enarr. ps. XLVIII § 13 sq.), idque non multo post eum fecisse ex illis verbis videtur apparere.

Enarr. ps. LXI post Maximi mortem (a. 388) orta est. Nam quae § 26 profert, ea ad legationem alteram a. 386 vel 387 pro Valentiniano susceptam Maximique supplicium spectant.[67]) Quae praecedunt (inde a § 17) ad Gratiani Augusti necem referenda sunt.[68])

Psalmi denique XLIII commentarium, quem morte appropin-

---

63) 'Dudum de monasteriis exierunt et nunc luxuriae sunt magistri, disseminatores incontinentiae, incentores petulantiae, obtrectatores pudoris' e. q. s. cfr. ep. 63, 7—10.

64) 'Saepe enim iacula in ipsos qui ea iecerint refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello, cum infideles et sacrilegi lacesserent aliquem in domino confidentem et regnum eius ereptum ire contenderent, ecclesiis domini persecutionum saeva minitantes, sed subito ventus orietur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus' e. q. s. cfr. Sievers, Studien p. 326, Gueldenpenning l. c. p. 225. Ambros. ep. 62, 4. August. de civ. dei V 26.

65) cfr. ibid. § 19 'imitamini ergo, imperatores, exemplum divinum, ut sitis in statuendis legibus severiores, in exigendis suppliciis misericordes'. Ambr. ep. 51.

66) 'Unum autem evangelium esse et alibi [sc. Expos. ev. Luc. I 1. 2] ni fallor intimavimus, et si iterum exigitur, facile possumus edocere.'

67) 'Nec petitor igitur sepulturae defuit etsi Ioseph ille qui iustus dicebatur defuit. Sed longe Maximus saevior denegabat, quod ipse Pilatus auferre non potuit. In quo parricidae humanitas defuit, innocenti tamen non defuit gratia, et ad tempus adsumpta patientia vindicta paullulum comperendinata est'; cfr. Ambr. ep. 24. de ob. Val. 28.

68) § 17 'recordamur aliquem proxime ab omnibus appetitum a suis destitutum ac proditum: qui dudum in suggestu locatus imperii . . . coepit urgeri ingruentibus in exitum, inferentibus mortem, nullo auxiliatore, nullo iam socio sui, nullo comite'.

quante dictavit, non absolvit. Deest enim duorum versuum explanatio. Scriptus igitur est a. 397 ineunte.[69])

Expositio psalmi CXVIII.

Hoc scriptum omnium quae episcopus elaboravit praeter Expos. evang. Lucae longe maximi ambitus sermonibus concinnatum est[70]), qui duobus fere continuis annis habiti sunt, siquidem recte in martyrologiis dies natalis Gervasii Protasiique martyrum dies 19. Iun. et natalis sancti Sebastiani d. 20. Ian. constituti sunt. Illius enim mentionem facit Ambrosius 6, 16[71]), huius 20, 44. Illorum martyrum corpora episcopus invenit a. 386, aestate ut videtur.[72]) Ad Iustinae persecutionem pertinent 11, 22 et 21, 9. Hymnorum cantum illo tempore a se institutum memorat 7, 25 sq. 8, 48. De evangelio Lucae se iam scripsisse 14, 38 indicat.[73]) Vix igitur ante a. 388 psalmi expositio absoluta est. Certiorem non inveni temporis notam. Liber de Isaac post illam scriptus est[74]), neque minus epistulae 63 nonnulla videntur inserta esse ex illius psalmi expositione.[75])

Expositio evangelii secundum Lucam.

Sermones, ex quibus libri decem[76]) Expos. evang. Lucae compositi sunt, anni fere spatio habuit. Nam IV 76 de die Epiphaniorum ut proxime praeterlapso loquitur[77]) et VIII 73 diem ordinationis suae esse memorat, qui d. 7. Dec. ab ecclesia celebratur. Librum, quem de viduis scripsit a. 377 vel 378, saepius affert[78]), praeterea libros de fide[79]), de spiritu sancto[80]) (scr. a. 381), Apologiam David (scr. post 383)[81]), Expositionem Esaiae prophetae, qui liber interiit.[82])

69) Paulin. vita Ambr. 42. cfr. Enarr. § 72 verba quae quasi mortem appropinquantem expectans videtur dictasse.

70) cfr. 6, 16; 14, 4; 20, 44.

71) 'Celebramus enim diem sanctorum quo revelata sint populis corpora sanctorum martyrum.' In pluribus codd. Protasii et Gervasii nomina superscripta esse Maurini affirmant.

72) cfr. adn. ad Serm. contra Aux. et ep. 22.

73) Delegat ad Expos. ev. Luc. IV 11 sq.

74) De Isaac 4, 17 ubi delegat ad ps. CXVIII expos. 2, 32 sqq.

75) cfr. ep. 63, 94. 95 cum ps. expos. 12, 38. 39.

76) Augustinus novem novit libros; affert enim X 89 ut ex nono libro (de gratia Christi 45, 49). Idem alios locos huius operis laudat, cfr. de pecc. origin. 41, 49. de natura et gratia 63, 75. de bono persever. 19, 49. contra Iul. Pel. II 5, 10. contra sec. Iul. resp. I 47. 48. 66. 112 etc.

77) 'Nemo adhuc nomen suum dedit, adhuc noctem habeo, nisi iaculum vocis per Epiphania et adhuc nihil cepi.'

78) II 62. IV 48. 50. X 6.

79) III 32. VII 68. VIII 95.

80) VI 31. Probabilius enim revocat ad libr. de spir. III 17, 125 sqq. quam ad lib. de Ioseph 3, 14 ubi eadem res multo brevius tractatur.

81) III 38.

82) II 56.

Ad commentaria sua in Lucam contra revocat in Enarr. ps. XL § 38, ps. CVIII 14, 38, in libris de benedict. patriarch. 4, 21[83]) et de institutione virginis 6, 42.[84]) Quae leguntur in ep. 63, 109. 110 sumpta sunt ex Expos. ev. Luc. X 129—132. Accuratior temporis definitio acquiritur ex VII 52 'audis aliquem sacerdotem dici, rapinas eius agnoscis: vestitum ovis habet, facta praedonis; foris ovis, intus lupus est, qui modum non habet rapinarum, qui tamquam in nocte Scythico membra duratus gelu, cruentus ora circumvolat quaerens quem devoret' e. q. s. Dicit autem Auxentium Arianorum episcopum, quem simillimis verbis in Sermone de basilicis tradendis depingit.[85]) Dicta sunt illa in ipsa Iustinae persecutione non multo post legem, quam omnes catholici abominabantur, datam d. 23. Ian. a. 386.[86]) Quam designat pater sanctus in Sermone contra Aux. § 16: 'quo enim abibo ubi non omnia plena gemitus sint atque lacrimarum? quando per ecclesias iubentur eici catholici sacerdotes, resistentes gladio feriri, curiales proscribi omnes, nisi mandatum impleverint? et haec episcopi manu scripta et ore dictata, qui se ut probaret doctissimum vetus non omisit exemplum, legimus enim in propheta quod viderit falcem volantem: hanc imitatus Auxentius gladium volantem per omnes urbes direxit'; § 22 'tantorum populorum sanguinem manu sua scribet et poterit consistere animo'; § 24 'qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans manu scribens'; et similiter in Expos. ev. Luc. VII 52 'nonne vobis videtur lupus, qui humanae necis insaturabili crudelitate fidelium morte populorum rabiem suam explere desiderat?', VII 53 'audivimus eius ululatus, cum in orbem gladius mitteretur'. Anno igitur 386 sermones plurimi habiti sunt totumque opus non absolutum est nisi a. 387 ineunte. Neque enim omnibus diebus Ambrosius ad populum tractabat, sed maxime diebus dominicis.[87]) Cum verba fecit VII 178 'granum sinapis martyres nostri sunt Felix, Nabor et Victor' Gervasii Protasiique corpora nondum videntur inventa fuisse, quos certe Ambrosius hoc loco non omisisset.[88]) Sedata iam prorsus persecutione scripta sunt quae

---

83) 'Ut docuimus tractatu habito in evangelium' sc. Exp. ev. Luc. III 41.

84) 'Licet alibi plenius dixerimus' sc. Exp. ev. Luc. libr. II.

85) cfr. §§ 15—17. 22. 24.

86) Cod. Theod. XVI 1, 4.

87) Augustin. Confess. VI 3, 4.

88) Editores ante Maur. subiungunt nomina 'Gervasius et Protasius et Nazarius'; sed codicum auctoritas refragatur. Num recte in martyrologiis dies inventionis d. 19. Iun. sit statutus dubium est. Nec minus in dubitationem vocari potest d. 7. Dec., qui dies ordinationis Ambrosii fuisse dicitur, de quo VIII 73 'pulchre mihi' inquit 'hodie legitur legis exordium, quando mei natalis est sacerdotii'. Nam nisi omnia fallunt verba VIII 90 'et quoniam de typo ad moralia deflexinus, inter tot credentium voluntates dominica die relaxare animum, festivitatem ad-

leguntur IX 32 'ecce tempus acceptibile . . . dissensionum quippe omnium procella deferbuit, cuncti saecularis cupiditatis ardores aestusque omnes, quibus Italiae populus per Iudaeae olim et Arianae proxime saevitatis incendia coquebatur, sereno iam spiramine temperantur: sedata tempestas est, concordia navigat, fides spirat, certatim nautae repetunt fidei quos reliquere portus et dulcia patriis oscula littoribus affigunt liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes'.[89])

Hieronymo Expositionem suam evangelii Lucae non videtur probasse Ambrosius, siquidem Rufino fides habenda est dicenti Hieronymianis verbis 'ante paucos dies quorundam in Matthaeum et Lucam commentarios vos legisse dixistis, e quibus alter et sensibus hebes esset et alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret'[90]), denotari episcopum Mediolanensem.[91]) Sed laudant huius libros praeter Augustinum Cassianus[92]) et Cassiodorius.[93])

De officiis ministrorum libri III.

Terminus post quem scripti sunt statui potest. Lib. I 18, 72 de duobus clericis, qui a fide catholica defecerant, agit: 'alter', inquit, 'Arianae infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniae studio, ne iudicium subiret sacerdotale, se nostrum negavit'. Ad idem tempus, Iustinae scilicet persecutionem, spectant quae de viduae Ticinensis deposito narrat II 29, 150 sq.: 'meministis ipsi, quotiens adversus regales impetus pro viduarum, immo omnium depositis certamen subierimus . . . recens exemplum ecclesiae Ticinensis proferam, quae viduae depositum quod susceperat amittere periclitabatur'. Quod Ambrosio auctore irritum cecidit. Accidisse hoc verisimile est a. 386 ineunte, cum Valentinianus Ticini versabatur.[94]) Terminus posterior effici nequit. Nam famem summamque annonae caritatem, quam proxime Romae fuisse III 7, 49 dicit, quo tempore 'eiectos esse urbe amplissima, qui iam plurimam illic aetatem transegerant, flentes cum filiis abiisse' queritur, Seeckio[95])

---

miscere delectat' eodem natali die dicta sunt. Dies autem 7. Dec. a. 386 non in dominicam cecidit.

89) Dicta sunt a. 386 exeunte vel ineunte sequenti.

90) Praef. de hom. in Lucam ad Paul. et Eustochium.

91) Rufin. Apol. in Hieron. II 22 sq. (Migne 21, 601) cfr. II 23 'ecce quae de Origene et Ambrosio sentiat; quod si negare voluerit, hoc quod omnes sciunt, quia de sancto Ambrosio dixerit, primo ex eo convincetur . . . deinde scit me habere epistulam suam, in qua hoc ipsum de aliis excusans in illum convertit suspicionem: verum quia epistula illa secretiora quaedam continet, quae interim modo publicari nolo ante tempus, ex aliis adhuc his similibus approbabimus' etc.

92) De incarn. Christi VII 25.

93) Comm. in psalm. VI (Migne 70, 59). Inst. div. litt. 7.

94) Cod. Theod. XII 12, 11. d. 15. Febr.

95) Proleg. Symm. p. CXIX.

assentior eandem esse quam Symmachus in epistulis ad Flavianum fratrem datis II 6. 7. 52 memorat quaeque praefecturam illius praecessit a. 383.[96]) Peregrinos tunc ex urbe pulsos esse Symmachus[97]) alii tradunt. Ea denique quae Ambrosius II 15, 70 de captivis barbarorum ab ecclesia redemptis et de vasis ecclesiasticis a se venditis II 28, 136 profert, non cum Baronio ad bellum Maximi a. 387/8 referenda esse, sed melius ad barbarorum inundationem a. 378/9 pertinere Maurini viderunt. Post annum igitur 386 libri de officiis editi sunt. Annus 391 quem Maurini sumunt incertus est. Librorum ante a se scriptorum nullum memorat nisi unum de Noë et arca, ad quem I 18, 78 delegat, ubi de constructione arcae agit. Fortasse etiam libros de Iacob ante scriptos esse supra indicavi.

Libri ex sermonibus conflati sunt[98]), quos ad filios suos h. e. clericos habuit; cfr. II 6, 25 'neque enim mihi ad mercatores lucri cupidine avaros, sed filios sermo est, et sermo de officiis, quae vobis, quos elegi in ministerium domini, inculcare gestio', I 7, 24 'et sicut Tullius ad erudiendum filium, ita ego quoque ad vos informandos filios meos'. Laudantur ab Augustino[99]) et Cassiodorio.[100])

De virginibus libr. III

ad Marcellinam sororem scripsit 'nondum triennalis sacerdos'[101]) a. 377. Natos esse hos quoque Maurinis assentior sermonibus, quorum primus die natali sanctae Agnetis (d. 21. Ian.) recitatus est.[102]) Quibus libris in serie Ambrosianorum nullum priorem esse satis libri primi caput primum mihi videtur demonstrare: 'Iure nobis verendum est, quibus licet ingenium tenue, necessitas tamen maxima eloquia dei credita populi fenerare mentibus, ne vocis quoque nostrae poscatur usura, praesertim cum studium a nobis dominus, non profectum requirat. Unde scribendi aliquid sententia fuit. Maiore siquidem pudoris periculo auditur vox nostra, quam legitur, liber enim non erubescit. Et quidem ingenio diffisus, sed divinae

96) Ambr. ep. 18, 21 (scr. a. 384) 'esto tamen si superiore anno deorum suorum iniurias vindicatas putant cur praesenti anno contemptui fuerunt?'

97) Ep. II 7. cfr. de fame illa Symm. Rel. de ara Victor. § 14 sqq. Ambr. ep. 18, 17 sqq. Seeck, Prol. Symm. p. LXXXIX (ad Ambr. de offic. III 7, 48).

98) I 3, 13 'audistis hodie lectum', I 3, 15 'sicut audisti hodie legi', I 8, 25 'dum legimus hodie evangelium'; cfr. I 7, 23 'neque improvide ad vos filios meos scribens huius psalmi prooemio usus sum'.

99) Epist. 116, 21 (Migne 22, 946).

100) Inst. div. litt. 16.

101) II 6, 39 'haec ego vobis, sanctae virgines, nondum triennalis sacerdos munuscula paravi, licet usu indoctus, sed vestris edoctus moribus'.

102) I 2, 5 'et bene procedit, ut, quoniam hodie natalis est virginis, de virginibus sit loquendum et a praedicatione liber sumat exordium . . . natalis est sanctae Agnes' e. q. s.

misericordiae provocatus exemplis sermonem meditari audeo, nam volente deo etiam asina locuta est. Quod si mihi sub istius saeculi oneribus constituto adsistat angelus, ego quoque muta diu ora laxabo ... Ac fortasse miretur aliquis, cur scribere audeo qui loqui nequeo' e. q. s. II 1, 1: 'superiore libro quantum virginitatis munus sit, voluimus — non enim potuimus — explicare, ut per se caelestis gratia muneris invitet legentem ... sed quoniam nos infirmi ad monendum sumus et impares ad docendum — debet enim is qui docet supra eum qui docetur excellere — ne vel susceptum deseruisse munus vel nobis arrogasse amplius videremur, exemplis potius quam praeceptis putavimus imbuendum.' Quae verba modesta ac paene timida viri sunt rudimenta ponentis, ut iam Fr. Vogelius recte monuit.[103]) Eum iam a. 375 librum edidisse de paradiso, quod volunt Maurini, probabile non est.

Laudantur Ambrosii de virginibus libri ab Hieronymo[104]), Augustino[105]), Cassiano[106]) aliis.

De viduis.

Verba in exordio posita I 1 'bene accidit, fratres, ut, quoniam tribus libris superioribus de virginum laudibus disseruimus, viduarum tractatus incideret; neque enim inhonoras debuimus praeterire et a virginum praeconio separare, quas apostolica sententia cum virginibus copulavit' produnt librum cohaerere cum libris de virginibus tribus[107]) scriptumque esse paullo post hos, eodem ut videtur anno. Temere centuriatores Magdeburgenses libellum in suspicionem vocarunt, cum non modo Hieronymus illum laudet[108]), sed ipse Ambrosius saepius commemoret.[109])

De virginitate.

Sermones, ex quibus hic liber concrevit[110]), habuit postquam de viduis scripsit, ad quem libellum 8, 46 revocat: 'ut illa vidua,

---

103) De Hegesippo qui dicitur p. 17.

104) Ep. 22, 22 'legas ... Ambrosii nostri quae nuper scripsit ad sororem opuscula, in quibus tanto se effudit eloquio, ut quicquid ad laudes virginum pertinet exquisierit expresserit ordinarit'. ep. 48, 14 'et multa alia quae tribus libellis de virginibus latissime persecutus est'.

105) De doctr. Christi IV 21 (de virg. I 6, 28. II 2, 7).

106) De incarn. Christi VII 25 (Migne 50, 252) 'Ambrosius in libro qui est ad virgines ita memorat' (de virg. I 8, 46).

107) In cod. bibl. Ambr. saec. XV, quem Baller. contulit, haec inscriptio est: 'incipit adhortatio ad viduas liber quartus'.

108) Ep. 48, 14 affert de vid. 13, 79; pro 'integritatis' quod habet Ambrosius, Hieronymus legit 'virginitatis'.

109) Expos. ev. Luc. II 62. IV 48. 50. X 6.

110) 3, 4 'hodierna quae decursa est lectio'; 19, 121 'audistis hodie dicentem dominum'. Defendendi se causa maxime videtur sermones habuisse, cfr. cap. 5.

quam in alio perstrinximus libro' (sc. de vid. cap. 9). Maurini propter argumenti similitudinem iam a. 378 scriptum putant, sed annus incertus est. Quae 20, 130 leguntur 'auxilium de sociis ministravit, adest piscator ecclesiae Bononiensis aptus ad hoc piscandi genus' iure Baronius videtur rettulisse ad Eusebium episcopum Bononiensem, qui una cum Ambrosio interfuit a. 381 concilio Aquileiensi. Iniuria priores editores hunc librum cum libris de virginibus tribus coniunxerunt, ut tamquam quartus esset. Nam tres tantum de virginibus libros se edidisse ipse auctor testatur.[111])

De institutione virginis ad Eusebium.[112])

Eusebius qui fuerit utrum episcopus, ut multi voluerunt, Bononiensis an civis aliquis nobilis, parum constat. Hoc tamen cum Maurinis probabilius duco.[113]) Ad quem Ambrosius, cum Ambrosiam illius neptem Mediolanii consecrasset virginem, libellum scripsit de institutione virginis.[114]) Cap. 2, 15 ipse se iam aliis libris de virginitate egisse testatur; cap. 6, 42 eum revocare ad Expos. evang. Luc. libr. II editores Maurini animadverterunt. Temporis definitio paullo accuratior inest 5, 35 'fuerunt qui eam (Mariam) negarunt virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere iam dudum maluimus. Sed quia causa vocavit in medium, ita ut eius prolapsionis etiam episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum'. Quibus verbis Bonosum perstringit episcopum Serdicensem (Thraciae), qui perpetuam Mariae virginitatem negaverat. De cuius doctrina actum est in concilio Capuano a. 391[115]), quod rem non diiudicavit, sed iudicium Macedoniae episcopis Bonoso vicinis faciendum demandavit. Qua de re conferenda est epistula de causa Bonosi quae vocatur ad episcopos Macedoniae Anysium alios data, quam Ambrosio editores nonnulli tribuerunt[116]), quod vetant verba § 2 'denique cum Bonosus episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui eius sententiam consuleret, interdictam sibi ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei' e. q. s. Qui auctor fuerit non satis constat. Lucas Holstenius Siricium papam auctorem dixit non sine probabilitate.[117])

---

111) De viduis 1, 1; cfr. de virginib. III 7, 32 ubi dicit se iam ad finem orationis vela pandere.

112) In codicibus titulus invenitur 'sermo de sanctae Mariae virginitate perpetua'.

113) cfr. Ambr. epp. 54 et 55.

114) De inst. virg. 1, 1; 2, 15.

115) cfr. Ambr. 5, 35 'quia causa vocavit in medium'. Annum concilii Tillemontius (Note 41 sur Ambr.) effecit, quem posteriores secuti sunt. Hefele, Concil. II p. 52. Langen, Gesch. der röm. Kirche I p. 639.

116) Coustant, Epist. pontif. p. 675. Maurini ediderunt post Ambr. ep 56. Ballerini V p. 299.

117) Coustant, Epist. pontif. p. 675. Langen l. c. I p. 639.

Patet igitur libellum de institutione virginis scriptum esse post illam synodum neque ut videtur multo post, itaque a. 391 vel 392 adscribimus.

Exhortatio virginitatis.

Cum Valentiniano iuniore a. 392 (mense Maio) occiso Eugenius ex Gallia in Italiam descenderet (a. 393)[118]), Ambrosius, ut eius adspectum declinaret, Mediolanio Bononiam se contulit indeque Faventiam.[119]) Invitatus denique a Florentinis in horum civitatem profectus est ibique ecclesiam a Iuliana constructam dedicavit. Sermo, quem tunc coram Iuliana eiusque liberis habuit, liber est qui inscribitur Exhortatio virginitatis, quod declarant verba exordii.[120]) Habitus autem est aut a. 393 aut a. 394 ante kal. Aug., quibus episcopus in urbem suam revertit.[121]) Ea quae 7, 42 leguntur 'Uno autem die terra non parturit, sed parit gratia. Venit paschae dies, in toto orbe baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacrae virgines: uno ergo die sine aliquo dolore multos filios et filias solet ecclesia parturire' ad imminentem pascham spectare Maurini putant. Sed non videtur illo loco certi anni pascha dici, sed generatim loqui episcopus.

---

118) Tillemont, Note 48 sur Ambr.

119) Paulin. vita Ambr. 27.

120) 1, 1 'ego ad Bononiense invitatus convivium ubi sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis et gratiae reservavi' (reliquias scil. Agricolae et Vitalis martyrum, quorum corpora Bononiae invenerat cfr. Paulin. 29); cfr. 2, 10; 14, 94.

121) Ep. 61, 2. Non ita multo ante Eugenius Mediolanium videtur reliquisse, cum Theodosius non ante mens. Mai. a. Constantinopoli exercitum duxerit. Paulin. 31. Gueldenpenning, Kaiser Theod. p. 219. 224.

Ea quae restant una cum his plagulis propediem edentur in Fleckeisenii Annal. Philol. Suppl. XVII.

Sentententiae controversae.

I Philod. περὶ ὀργῆς p. 120 Gomp. legendum puto ἐνίοτε δὲ καὶ λοιδόρους ἱέναι φωνάς (pap. τιθέναι).

II In Eurip. Med. v. 1132

ἔχω τι κἀγὼ τοῖσδε σοῖς ἐναντίον
λόγοισιν εἰπεῖν

τοῖσδε ex Jani Lascaris coniectura receptum ab omnibus fere editoribus ferri nequit. Scribendum cum cod. C τοῖσι (reliqui libri τοῖς γε).

III Eurip. Med. v. 1071

ὦ φιλτάτη χείρ, φίλτατον δέ μοι κάρα

pro κάρα codd. L et P exhibent στόμα neque male coll. Androm. v. 1181.

IV Hor. Od. I 28, 21 nescio an recipienda sit lectio 'rabidus' pro 'rapidus'.

V Bramb. C. I. Rh. 1819 mulieris nomen est OCLATIA.

VI Eulogius ap. Phot. Bibl. cod. 230 p. 271 b 29 καὶ πρὸς Ἀλβῖνον δὲ γράφων ὁ αὐτός (scil. Ambrosius) ἵνα φησὶ τέλειος ἐν ἑκατέρᾳ φύσει τυγχάνῃ; pro ΑΛΒΙΝΟΝ scribendum est ΣΑΒΙΝΟΝ (cfr. Ambr. ep. 46, 6).

VII Ambr. Enarr. ps. XLV § 21 emenda 'pugnavit Marius adversus Sullam (Syllam)'; traditur 'Cinnam'.

VIII [Maxim. Taur.] Tractatus IV contra paganos p. 722 (ed. Bruni Romae 1784) lego 'velut uno aratro fidei et securi veritatis totam erroris eorum circum abscindimus et subvertimus silvam'. Traditur 'securae'.

IX Signum Iovis Victoris Capitolini (Preller, Myth. Rom. I^3 p. 199) expressum videtur in nummo Domitiani Cohen, Descr. d. monn. imp. I p. 497 n. 310 (cfr. CIL VIII 6981 = Or.-Henzen 6139).



Vita.

Natus sum Reinholdus Maximilianus Gustavus Ihm anno MDCCCLXIII die XXV mensis Decembris Krotochini oppido Posenano patre Reinholdo, matre Anna e gente Mintus, quibus superstitibus gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus in gymnasio Brombergensi et in schola francogallica oppiduli Ars a. M. prope Divodurum siti Collegium frequentavi Pfalzburgense per quattuor annos, cui tunc praeerat v. d. Kaemper. Aestate a. MDCCCLXXVIII parentes Mogontiacum transmigrarunt, ubi gymnasii discipulus eram per tres annos. Primam denique classem Halis Saxonum absolvi gymnasii municipalis. Maturitatis testimonio instructus autumno a. MDCCCLXXXIII universitatem adii Halensem studiis operam navaturus philologicis, ubi per tria semenstria scholas audivi vv. dd. Bartholomae, Dittenberger, Erdmann, Gosche, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kirchhoff, Leonhard, Neumann, Pott. Per sex menses exercitationibus interfui historicis quas instituit Neumann. Vere a. MDCCCLXXXV in hanc almam litterarum sedem Rhenanam migravi, inter cuius cives adhuc numeror. Docuerunt me vv. dd. Bischoff, Buecheler, Dove, R. Kekulé, Klein, Lamprecht, Luebbert, Nissen, Schaaffhausen, Usener, Wolff. Ut in seminarium philologorum regium reciperer, cuius per tria semenstria eram sodalis, egregia erga me factum est benevolentia Buecheleri Luebberti Useneri. Exercitationibus comiter me admiserunt epigraphicis grammaticis Buecheler, archaeologicis Kekulé, historicis in seminario historico institutis Nissen.

Commentationem quam scripseram de Matrum sive Matronarum cultu ordo philosophorum Bonnensis a. MDCCCLXXXVI praemio ornavit. Quae anno post edita est in Annalium societatis antiquar. Rhenan. vol. LXXXIII p. 1—200. Quae praeterea scripsi minutiora spectantia maxime ad res epigraphicas ibidem extant vol. LXXXII—LXXXV et Mus. Rhen. vol. XLII p. 487.

Praeceptoribus meis omnibus gratias habeo maximas; imprimis vero Francisci Buecheleri, cui beneficiis in me conlatis in perpetuum sum devinctus, memoriam servabo pientissimam.